B. ALOYSIVS GONSAGA *Caſtilionenſi Marchionatu ſpreto Chriſto ſe in Societate tradidit æta-tis ſuæ anno decimo ſeptimo. Morum ſuauitate, comitate, ſui contēptu, animi ſubmiſſione, ſupraq; ætate maturitate ōnibus carus. pietate vero cum primis ſæculi noſtri componēdus. cui perpetua caſtitas in delicijs, aſperitas pro epulis, oratio pro condimēto fuit. nulla illi oblectatio, nullaq; grata colloquia extra Deum. vnde fiebat, vt ſi vanis et ſæculū redolentibus intereſſe cogeretur, vultu mœrorē testaretur; ſi cæleſ-tiū narrationibus, gaudium præ ſe ferret. benignus in omnes, indulgētior in alios, dum ſibi nihil ignoſcit. Viuere deſijt ætatis ſuæ anno vigeſimo tertio, miraculis in vita et poſt illā orbe prope toto clarus.*

Niedersächsisches Ministerium für Wissenschaft und Kultur
© HAUM http://kk.haum-bs.de/?id=bolswert-s-wb3-0009
© Herzog Anton Ulrich-Museum Braunschweig